



**Vademecum Sive Praxis Opera Quotidiana Aliaque ritè
peragendi, & per ea salutem & perfectionem propriam, ac
proximi, instituto Societatis Jesu conformem assequendi**

De operibus solidæque devotionis exercitiis, quæ vel quotidie non
peraguntur, ves fusiore indigent explicatione, quomodo cum majori fructu
peragi possint

Limpens, Ferdinand

Coloniæ Agrippinæ, 1744

A Præfatione usque ad Consecrationem.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54780](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54780)

loquat ut ipse, & jam non ipse in me, sed Christus in me sit. Frustra cavillantur Hæretici, quòd Sacerdos panem & vinum offerens dicat se offerre immaculatam hostiam panem & vinum, item se illa offerre pro peccatis. Nam panis & vinum vocantur hostia immaculata anticipatò, quia mox convertentur in corpus & sanguinem Domini, quæ sunt hostia immaculata. Vocantur autem hostia pro peccatis, quia sunt materia sacrificii, ex qua fit hostia pro peccatis. Sacerdos lavans manus examinet, & simul Missam audiens, an nihil mali conscientia ei exprobrare possit, quòd veræ innocentia, puritati, vitæque sanctitati, quâ coram Deo comparere fas est, adversetur.

A Praefatione usque ad Consecrationem.

S Gregorius Magnus constituit, ut in Canone adderentur hæc verba: *Diesque nostros in tua pace, &c.* quantò profundius in Missæ arcana descendit Sacerdos, & Deo in terram è cælis advocando, eumque in manibus suis ponendo fit vicinior, eo quoque majori cum attentione, timore, reverentiâ & amore erga ipsum se unâ cum ministrantibus Missamque audientibus gerat, necessum est. Attendat itaque quàm diligentissimè ad ea, quæ agit; eum gravitate ac modestia signa Crucis exprimat, omnes sacri Canonis orationes cum devotione pronuntiet. Quantum ad eos, quos Deo commendatos vult in *Memento* breviter & perpau-

cis, remittens se ad intentionem ante inchoationem sacri factam, id faciat, & maximam gerat curam, quo amore, reverentiâ, humilitate ac cordis puritate Deum Eucharisticum brevè tractaturus sit. Quin etiam gaudium in se excitet & exultet, quòd brevè intra manus suas habiturus sit eum, qui in quantum Deus ab æterno in æternum est in sinu Dei Patris, & quâ homo ad dexteram ejus confidet, quem novem mensium spatio visceribus & tanto tempore brachiis suis sanctissimis Deipara complexa est, & suis Simeon strinxit ulnis, qui hoc ipsum incruentum Sacrificium in ultima Cœna Deo Patri obtulit. Nec putet, quòd his aut similibus affectibus, quos ipsa verba Canonis suggerent, occupatus minùs exaudiendus sit in iis, quæ à Deo petere desiderat. Quin potiùs sibi persuadeat, multò meliorem postulata sua apud Deum successum habitura juxta illud Pl. 84. *Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui.*

In oratione *communicantes* fiduciam excitet benè & ex voto cum Deo tractandi, cum hujusmodi Advocati, qualis est sanctissima ejus Mater, Apostoli, & tot Martyres unâ cum ipso se fistant Deo intercessores. Atque ità plenus fiducia absolvat orationem. *Quorum meritis precibusque concedas, ut in omnibus protectionis tue muniamur auxilio.* Missam audiens tunc non deberet multùm orare vocaliter, sed cogitare, se brevi visurum & adoraturum Dominum Majestatis, sibi que insusurrari ab Angelis illud

Matth. 26, *Ecce sponsus venit, exite obviam ei,*
 Atque hoc majorem in eo devotionem teneri-
 que amoris affectum excitabit, quam si voca-
 lem aliquam orationem decurreret, quod in alia
 Missæ parte facere poterit,

*Quomodo in sanctissimo Sacramento Christus
 adorandus sit.*

CUM hostia in altum elevatur & calix, &
 oculus corporeus videt albedinem, rotun-
 ditatem, &c. oculus mentis & fidei aspicit ibi
 præsentem Jesum Christum Deum & hominem
 sine ulla substantia panis aut vini, ut naturæ,
 gratiæ & gloriæ Autorem, Creatorem, Salvato-
 rem, rerum omnium principium & finem, omni-
 bus necessitatibus nostris mederi adeo poten-
 tem, & ad id faciendum adeo promptum, ac
 olim, dum in mundo ambulavit, *pertransiit be-
 nefaciendo & sanando omnes.* Act. 1, Venit
 ergo nobis benefacere paratus, coram quo
 sicut in cælo ita & S. Missæ Sacrificio Cali-
 tremunt Potestates & Angeli, qui suo nos
 exemplo docent, quo silentio, timore, amore
 coram eo nos gerere debeamus, & cum qua
 adorationis signa, utriusque scilicet genuflexi-
 onem, quâ nos totos ei subicimus, & pecto-
 ris tunctionem, quâ adinstar Publicani nos pec-
 catores esse, & ipsum peccata remittere pro-
 fitemur, peragere debeamus. Hæc benè confi-
 derata condignos suggerent affectus, & omnem
 irreverentiam procul arcebunt.